MAVRITII CENTINI PATRITII ASCVLANI

Academici Intrepidi Accincti.

NVNC

MILETEN. EPISCOPI

SACRORVM EPIGRAMMATVM LIBER.



MESSANAE.

Apud Io. Franciſcum Biancum. 1634.

MAVRITII CENTINI PATRITII ASCVLANI

Academici Intrepidi Accincti;

NVNC

MILETEN. EPISCOPI SACRORVM EPIGRAMMATVM LIBER.



MESSANAE,

Apud Io. Franciscum Biancum. 1642.

ILLVSTRISS.

ASCVLANAE CIVITATIS

MAGISTRATVI.

LVCAS HILARIVS.

ECce iam secundò poeticum hoc MAVRITII CENTINI viri Illustrissimi opus litterarum palestram, velut alter Thobias, Cæli lumen spectaturus ingreditur; nec displicere debet aptatum pio operi Thobiam vocabulũ, quod pium hominem sonat. Hisce iam pridem frontis oculis Cælum vidit.

Lasciuire olim Musas, crescere in Olympum Gnidum, fluere pigmentatis aquis Permessi fontes, errare cupidinea face, & arcu Phœbum; vel ad Palladios progressa campos, ducere agmina Apellinen, ruere Amazonum instar ad Bella sorores, manare hostilibus Parnasi iuga cruoribus: lusit hactenus heroico carmine poesis, interdum Veneris, interdum Martis assecla. At nunc verò, dum argumentosa

Pindi Apes, è sacris delibatura flosculis succos, aureis expansis alis ad Vaticana viridaria properantes, Alueari sacro sacra mella diffundunt, non vltra lasciuas poetico studio cursitare puellulas; non vltra cincinnata carminibus agitare capita, & colla Iuuenes, sed nec hostiles furere turmas, nec iratum ludere Phœbum, sed sacro Musarum duce, sacro Apolline, sacro fonte, sacra omnia.

Nulla in posterum Venus, nisi Virgo: nullus amator, nisi castus: Martem non videbis, sed Martyrem, non in cædes, & arma debacchantem; sed pro armis, ac cæde triumphantē: stillare fontes, gurgitare riuos, non humana, sed superna dulcedine, non aqua sed sanguine.

O bella, ò lusus. Scilicet tales decebant Religiosum virum lusus, talia manebant bella, si quid otij camenis litterarij ludus, si quid Parnaso Cælum præstitit studij: sed, & talem hæc omnia manebant Patronum, ne quo degenere vilerent afflatu. Tibi igitur sacrorum vindici sacras vouemus Musas: sacrorum Præsidi sacri litamus Præsulis numeros. Tuum interim erit, & Auctoris tibi deuinctissimi fouere animum, & sacros tueri cantus.

Quibus, vt vides (Amplissime Senatus) nihil acuminatius, lucidius nihil. Factum tamen fatale putarim, vt præcox ingrati, ac procacis hominis ad Typos ingenium, cuius bellè satis Hirundo est Typus, opus hoc ipsum ferè orbatum, æternis characteribus consignaret. Quid ni enim orbatum dixeris opus mendosum, dimidiatum, breue?

Sæpius proinde ingemiscebat Auctor, & pietatem suam breuiusculo libello compressam, & qualemcumq; laborem suum Rostrorum,

ac

ac ſugeſti reliquias mutilatè vagari; qui propterea hortantibus amicis, peccante me operi eidem, cuius apud ipſum mentale dumtaxat ſupererat exemplar, extremos appoſuit digitos; nouo fœtu auxit; & quo per Paſtorale munus licuit, cribro examinauit, caſtigauit, trutinauit, paſſus vel ægrè prælum iterato ſubire. Porrò indere illi iteratam lucem facile meas dixerit partes, qui me Thobiæ filioli comitem dixerit. At quid minus dixerit? (abſit in reliquis oſtentatio; deeſt parilitas) miſſus ego, miſſus, & ille: ille itineris, & arcanorum filij comes; ego Patris in itinere comes, à ſecretis, & ſeruus.

Illo piſcis felle liniuit Thobiæ oculos, vt videret, & vidit: ego mei ſtoliditate ingenij, quam piſcis oſtendit, de quo vetus illud prouerbiale enigma. Nullus malus magnus piſcis; ac mei ſtyli acritate operis frontem illinio, vt videat: videbit planè, vel mea ſaltem acrimonia ſollicitante incaleſcens excutiet oculos. Iam tua intererit Illuſtriſſime Magiſtratus, paternam in filios tuos ſupplere vicem;

Auctorem videlicet quamuis infulatum, Patriæ oblequentissimum fonendo, & æqui meam faciendo operam, in qua si quid lippum, vel petum offenderis, meum dixeris, Vale.

IACOBI A MANARA' PANORMITAE
De Authoris meritis Elogium.

V*Nde te, diuino afflatus numine, cælestis sapientia, quæ tuo numine cuncta imples, cuncta perficis, & cuncta ad altissimam tui cognitionem iuxta tuæ sacrosanctæ voluntatis imperium dirigis; vnde te inuocem? Cælos ornas, & cælorum ornatu terram beas. In toto igitur terrarum orbe licet adsis; eidemq; adsis: tamen in Miletensi Palatio magis ades conspicua, in cuius sacris penetralibus centum Centini mei Præsulis Theologicis, ac Philosophicis inscitiæ nodata catenis gemit. Vnde tu triplicem humano ingenio molita triumphum hæc, quæ de meo Centino tuæ æternitati dedico accipe. Nam potentissimo æternitatis Prælo gloriosa virtus Varijs insignita stemmatibus, Varijsq; in pretioso colorum encausto hierobiificis triumphata inscitia eorum non sine sacrosancti numinis ope escripsit nomina, qui Deos, ac Patriam reuerriti officioso ingenij partu, diuino adaucto cultu, altisona enchomiastica oratione, altitonantibusq; enchomijs natali solo effecto celeberrimo vrbanos, exterosq; omnes ad tam altiloqua pietatis opus excitauit. Hinc statuas, Imagines docto diadematū inuento mira ingenij altitudine, dedaliceq; artificio virtute duce decorauit; Vt silenti hortatu, quid imitandum, quid fugiendum spectatorum mens edisceret. Vnde alios dum è lætheis erutos tenebris extollunt, se præter modum etiam nolentes altisono historia præconio Dijs æquarunt; & immortale assecuti nomen tempore, atq; inuidia obstrepentibus æternum fæliciter, ac beatè viuunt. Quod de Illustrissimo, ac Reuerendissimo Centino Mileten. Episcopo diuinitus Italiæ toti accidere fateor haud indubitanter. Qui iuxta Philosophi mentem Patriam generationis principium veneratus gloriam glo-*

 ria

riæ cumulans stichilogico stylo Cælo illam æquat. Nobilitate nobiliorem prædicandum tradit. Tanti enim viri optimi, optimique Ciuis familiam re historica altius repetita, regio diademate insignitam veritas repertam tradit. Cui Noemicum inuentum iure optimo Regiæ dexteræ fas fuit elargiri.

Ad dotes transeo, quibus studiosorum, ac sapientum alumna Roma hunc extra aleam conspicuum ditauit. Non ne cum factis caleste Centinum cognomen conueniat? Centum enim virtutibus Apostolica Eminentia, quas summa veritas altaq; Paracleti Tuba necessarias prædicat inuidia obstrepente triumphat. Philosophicis litteris adeò ditatus agnoscitur, vt miro ipsius Philosophię iudicio seipsum lateat. An Centinus Philosophiæ filius, an Magister, Inuentor ne, an Illustrator. (pace tua id Plato, tua etiam id Stagirita dixero.) Ipsa etiam sacrosancta Theologia, ceù mystica Pallas ex Altissimi summi rerum Opificis cerebro fœlici lactata exordio Centinum meum non Theologum, sed ipsum totum in Theologia Theologiam esse prædicat diuinitus facundè docet, & plenè instruit. O verè Centinum centum, vt dixi insignem virtutum enchomijs. Tu Patriam illustras, Tu te ad Cæli arcana pia ingenij altitudine extollis, Tu præpetibus Philosophiæ Alis tui volatus vmbra Philosophos verè facis Philosophos. Tu diuinæ Poeseos lumen. Totum te Parthenopeum Regnum veneratur, Triquetra Rethorices inuentrix sacris ingenij tui Concionibus sacro stupore stupet, in metricis ingenij admiratur acumen, in narratione facundiam, in maiestate sales, vt, & mihi te liceat vna verum, at sacrum appellare Apollinem. Vale.

HORATII MALTACEAE V. I. D. Prothon. Apost. Illustrissimi Auctoris Generalis Vicarij.

Horatij Flacci, & Auctoris comparatio.

VT cecinit Flaccus, sensitq; Helicone canentem
Hic Lyrico Princeps carmine: Phœbus ait.
Hoc reticente lyram, solum lasciua sonantem,
Termite suspensam planxit amica salix.
Has modo Centinus reuocans ad carmina cordas;
Sancta canens Diuum pignora, tangit ebur.
Flacce vale: si sancta putas præferre prophanis
Hic Princeps lyricis, Phœbus ait, numeris.

IO. DOMINICI SODARO
Archidiaconi Mileten. S.T.D.

BArbara priscorum sileant mendacia vatum
Mauritio hoc solum fama loquatur opus.
Non etenim figmenta refert nouus iste Poeta,
Nec celebrat versu nomina falsa Deum.
In noua non fingit mutatas corpora formas,
Carmine prout finxit Naso Poeta suo.
Aeneidosq; Maro describit, Vlissis Omerus
Herculis ille alius fortia gesta canit.
Quos longe hic superans Auctor pietate superna
Omnibus his spretis numina vera colit.
Purpura propterea cingat tua tempora Præsul;
Purpura te fœlix, te colat omnis honos.
Vt te Miletus viridi sic Roma Phalero
Purpureo accipiat deprecor ipse Deum.
Deniq; vt in Petri sublimi sede moreris;
Sint tua post lethum Regna beata Poli.

DIDACI SANCTORII V.I.D. Miletensis.

Maximus ecce Heros Centinus carmina diuum
Aurea centenis fructibus emodulans,
Virtutis splendore suæ stat gloria tanta
Rebus in omnigenis semper in orbe micans.
Iustitiæ splendore suæ sint munia laudum
Terq; per ora virum fama perennis eat.
Iure igitur Musæ quibus est permissa potestas
Vatis sydereo cingite rore caput.
Sic iuxta hunc Vatem semper iam lilia florent:
Cuius signiferis, montibus alta regent.
Eius signa domus perfecto munere fulgent:
Numinibus quorum sæcula nostra manent.
Talia Miletus rogitant, angustaq; tota
Italia, vt cunctis affluant ora bonis.
Nectareum sic omnis iter sapienter adoret
Vt magni Patris trinaq; sceptra tui.
Siste gradum quæso Patriæ dignissime Præsul
Pange decus diuum, pange salutis opus.

ANNIBALIS ATTESANI
Hypponensis. V. I. D.

CEntine ò quã dulce canis, tibi Pindus in ore est,
Ipsæ cum toto sunt Helicone Deæ.
Nescio si tales, Phœbo meditante, laconis
Audijt Eurotæ lympha beata modos.
Te Phœbus noster celebraßet: gloria longe
Ni tua Phœbeo carmine maior erat.

IO. BAPTISTAE BISOGNI I.V.D.
Ad Auctorem.

MOre volans Cycni Centinus carmina pangit
Centeno iussu, duraq; corda trahit.
Centinus centena canit (mirabile dictu)
Gesta patrum, & toto flammeus ore canit?
Non te Picenum expectet; non Felsina lenis:
Clauigeri exoptat prospera Petra Petri.

IO. PHILIPPI BREA V.I.D. MESSANENSIS.

Ad Auctorem.

CEntum in te vno animi dotes, Centine, relucent,
Scribere quas calamus, lingua referre nequit.
Dum tu oras, stupet orandi Cyllenius artem;
Dum cantas, tecum Phœbus & ipse canit.
Sic Vates, Pastorq; simul scis Iure docere,
Quod bene conueniunt laurea serta Mitræ.
Forsitan vt mundus quem nunc miratur, adoret,
Et pronus sacris oscula det pedibus.

H. AEL. IAE. D. E. A. P. A.
Phylosophiæ, & Med. Doct.

P Resul Mauritius Diuorum gesta virorum,
Officiumq; lyra candidiore colit.
Magna canunt alij: Centiui Vatis, Apollo,
Carmen, ait, superum nil nisi numen habet.
Laudentur veteres, tanto sed numine forsan
Vidimus in toto clarius orbe nihil.
O vtinam tanto pro munere Patruus vrbis,
Et Regnator (ait) totius orbis eat.

IACOBI A MANARA' PANORMITAE
In Auctorem.

NAtura obstupuit, natura viuida partu
Naturas iterant qua duce nata suas,
Altitonantis opus; victo ex Acheronte triumphos,
Centino altiloquis altitonante tonis.
Nil mortale sonans, afflataq; numine fata est;
Centino Cælum tradidit ecce tubam.

INDEX

✠✠ Dum

INDEX

Tu-

INDEX

Ad

INDEX

Dex-

INDEX

FINIS

AVCTOR AD PATRIAM.

QVod procul à vestris eliminat insula terris,
Quod tenet absentem Brutia terra, dolet.
Non inuisa dolet Chrasti per saxa furentis
Lympha Truentinis conglomerata vadis.
Nec dolet aut vestras, quod non conceditur arces,
Aut consanguineas cernere, templa, domos.
Hic domus, hic arces, hic templa, & labilis vndà
Circum Guiscandi tecta superba fluens;
Sed natale dolet tantum, quod reddere vestris
Non datur absenti nutibus obsequium.
Hoc igitur patrias venerabor carmine leges,
Vos patrio numeris corde, fauete meis.

Ad Sebastianum Andreantonellum Conciuē, Excusat Auctor Musarum silentium.

QVid raucos reuocare iubes ad carmina cātus,
Atq; senescentem sollicitare lyram?
Non hic Adriaci comes æquoris vnda Truenti
Me tenet, aut Rheni, Tibridis, Erydani:
Nec qua Sirenum ad scopulos caput insula primum
Strinxit. Athengo slaua Minerua sinu:
Sed qua nullus Olor demulcet candidus aures,
Vltima Tirreni litoris ora tenet.
Qua pars cum Musis, vbi bina pendere lance
Hic Astræa virum iuribus alta monet?
Qui tamen impatiens numeros compellis: amico
Hac, quæ sacra canunt, lumine metra legas.

De Virgine ab Angelo mysterium inhumanationis edocta.

Epigramma I.

CErnis, ut Altisono radiantibus Aliger auris
Præferat ore canens grande salutis opus:
Cernis, ut Astrifero dum vallat germine Matrem
Respuat humanos Virginis aula sonos:
An superum sic iura manent, ut Nuncius orbi
Iam ferat alter opem, si tulit antè necem?

Ad Virginem Templum petentem.

II

QVò trahis, ab greßus sic pupula bella fugaces;
Nec te vtriusq; manet, diua, parentis amor;
Canitiem ne sperne patris, ne despice matrem;
Aspice vtrumque sequens hic gemit, illa dolet.
An fugis, vt velox rapias cælestia? sed quid
Nonne hæc vt fugias quærit vterq; parens?
Tu tibi summa paras, & cernis vtriq; salutem
Stare; potens bino munere sic properas.

De Virgine sine labe concepta.

III

SI niueas insueta queat redimita calores
Frigida purpureas terra dedisse rosas:
Magna feret, maiora nouo feret ordine, nullas
Si Rosa pungentes continet orta comas.
Hos tibi, dùm sacros Virgo litatamus honores;
Hac tibi sacra dies munus vtrumq; tulit.
Frigida terra parit flores, hominisq; Deiq;
Conciperis sterili dum genitrice parens.
Spinea serta procul; dum sacra ab origine, nulli
Noxia peccato, plena nitoris eras.

B. Ioannis Baptistæ Humilitas.

I V

CVr fugit Haliæ nomen, cur vatis honores;
Quem Haliæ, & vatis Christus honore beat?
Verba ne veridicum profert fallacia Verbum?
Falsa ne vox verbo vera loquente sonat?
Siste; vtrumq; pari sic fatur carmine; vates
Vt solum orta canat; proferat acta Deus.

In idem Argumentum.

V.

TEr tria quæsitus profert responsa Ioannes;
Et totidem verbis tecta secreta canit.
Et prolata ducis sic ridet dona futuri
Helia, & vatis, mallet vt esse nihil.
Sed quis, si nihil est, dedit hoc, vt in æthere Christo,
Inter Cælicolas, Iudice, primus eat?
An leges, ac iura petunt cælestia, maior
Prodeat vt superis, qui minor ante fuit?

De eodem.

VI

HOc natura sua reclusit lege calores
Vt datus insensos comprimat igne cinis.
Nunc tamen effugiunt, ò Diue, cupidinis ignes.
Hoc cinere, & fluctus temperat unda suos.
Sic Baptista tibi natura sub ordine cedit,
Dum meliora tuis viribus acta videt.

De eodem.

VII.

DVm caput ense cadit, moritur Baptista minutus,
Et crescis, dum dat crux tibi, Christe, necē.
Numine, nùm quoniam cecinit Baptista, superno;
Sic opus est Christum crescere me, minui?
Longior insequitur, Christo nascente Ioannes
Nascitur; & breuior continet hora dies.
Numine, nùm quoniam cecinit Baptista, superno;
Sic opus est Christum crescere, me minui?

S. Stephanus sic inter saxa loquitur.

VIII

A Ere saxa pluant; hæc inter nubila pandit
En mihi sydereas porta reclusa domos.
Cælica cuncta mihi spectantur numina: natum
En video dextras hic prope stare Patris.
Nec mirere; si les si visa docere sedentem;
Surrexit superas namq; aperire fores.

Ad Beatum Stephanum.

VIIII

TErra tremit, manat lapidosis imbribus æther:
Dum tonat Isacidum dira furore manus:
Tu tamen, en celeres extendis ad æthera pennas,
Nec tenet hæc inter bella cruenta lapis.
Scilicet eiecto natali pondere saxum
Non grauat innocuos; sed vehit ad superos.

Petri, & Andreæ Apostolorum par, ac dispar interitus.

X

Una duos similis fratres complectitur Arbor;
Vt quos vita; pares redderet interitus.
Et tenet amborum sic rete foramina; ferri,
Amborum, ut crebro vulnere corpus hiat.
Sed quid hic ad terras, ad sydera vertitur alter
Vertice, nec fato cadit uterq; pari?
An ne tot hic homines verbis piscatur ab alto;
Altero, in amplexus quot, moriente, ruunt?

Inuentæ Crucis Signum.

XI.

DVm sacrum terno confusum stipite lignum
Turba pia; haud dubijs, quæreret, indicijs.
Protinus, è terris, animare cadaueris artus
Cernitur appositos, eruta planta Crucis.
Sic vitæ signo dignosci debuit Arbor;
E' Christo vitam, quæ moriente tulit.

Exaltatæ Crucis Festum.

XII

SAcra dies hilari celebretur honore recursans,
Qua retulit victor Græcus ab hoste Crucem.
Nostra labore manus seruili operosa quiescat,
Sed ruat in sacros, thura, precesque focos.
Quid ni, si viuit? noua nam surgente reuixit
Vita Cruce; arma iacent insidiosa necis.

Reges

Reges in Christi natali offeruntur.

XIII

R*Egibus hæc terno præstantur munera Rege;*
Matri aurum, Nato thus, tibi myrrha Senex.
Sistite iam Reges vili accubuiße Bouili;
Inter pædorem, quadrupedesq; feras:
Alta sub Eoo sunt nobis limine tecta:
Has libeat vobis incoluiße domos.

Diua Regibus.

XLV

D*Ona manent natum, debentur terna potenti,*
Qui ligat amplexu munera terna Puer.
Parcite, quod superest, præferre palatia Reges,
Me iuuat has humiles incoluisse casas.
Scilicet, orta salus non est vbi pompa superbit;
Sed bona cuncta fluent hùc, vbi nata salus.

Ad Magdalenam plorantem.

X V.

P Arte noui maculare genas tibi gurgite plantus;
Qui fuit ante, cadit fictus ab ore rubor.
An ne putas Veneris lacbrymis extinguere flammas?
At ruit igne poli cæcus amoris amor.
An ne humana doles, quia tollitur illa sepulchro
Altera vita Deus? pectus vtramq; fouet.
Sed risus ignara doles, vt cor tibi fletus;
Vt nascentis; eat, te moriente, comes.

La-

Lachrymæ Magdalenæ.

XVI

DVm gemini erumpunt Mariæ de pectore fontes,
Et simul, accensos dùm ruit in gemitus.
Aethna mihi, niueos censetur amicta colores,
Promanans summo vertice visa focis.
Sed quid ita? an miscet liquidis incendia flammis
Promptius, vt calidis crimina mundet aquis?

B. Magdalenæ Dolor, amisso Christi aspectu. XVII

CHriste, aîi vna salus, & corporis intima prases:
Dum fulgore tuæ lucis vtrumq; foues.
Quæ noua corporeos turparunt noxia sensus;
Te leuis ex oculis, ferret, vt aura meis?
Te sine, languenti tabescunt tempora sensu:
Tuquè animum menti iam sociate beas.
Inuida in adiunctam conspirant organa mentem:
Vis ne vtrisq; dari fœdera pacis? ades.

Eiusdem in Christi morte Mæror.

XVIII

CRura, manusq; solo dum fixus in aera Christus
Elato nondum stipite procubuit.
Præ cunctis pertesa mali Magdala, necisq;
Anxia per medios prosiluit gladios.
Oscula dans Clauis ignita: liquescere ferri
Tu petis, an moles victa calore queat?
At potis est ardor detrudere ferra, sed actos
Quæ fluit ex oculis temperat vnda focos.

Mag-

Magdalenæ Crines in Herèmo longiores. XIX.

CVm lasciua comas, & pectine pascit eburno,
Vanaq; odoratis fæmina nutrit aquis.
Labitur artis opus, varioq; subacta labore
Spes cadit, & modicum crescere visa coma est?
Dum tamen artifices spreti cessere liquores;
Dumq; dedit scissa rupe cubile nemus.
Crescere tam vario, cur vidit, in ordine crines,
Totius vt ferrent corporis exuuias?
Ah Cælum est facies, aqua plantus, planta capillus:
Planta tamen superis sic magè crescit aquis.

In eandem.

X X

*Q*Væ pertesa mali, patrios oblita penates,
Decubat in vili casta Maria casa.
Non vltra auriferos præcingit purpura crines,
Sed nec odorato lympha liquore fouet.
Sed leuis ante fluens discriminat aura capillos,
Quos eadem ad pectus præcipit ire vagos.
Sic tamen illa meos, magè nunc, cur nectit amores?
Cur facies cultu simpliciore nitet?
Dixero: fila magis nectunt pendentia: crines
Atq; amor auratos pectoris igne probat.

De B. Agnete Virguncula, & Martyre.
X X I.

AVroram media, qui vidit luce diei;
Hic novius toto protulit orbe nihil.
Mira canam; vos hæc animis miracula vestris
Condite, dulce sono pandite vocis opus.
En luce aurora in media; dum sanguine Cælis
Ista rubens mediis, pusula bella nitet.

De Sancta Barbara à Patre necata.

XXIII

ECce sacrum Christi veneratur Barbara nomen,
Et spernit saui numina falsa patris.
Barbarus, è contra, genitor præcordia natæ
Transmeat, & , cæsa Virgine, colla metit.
Iam, si vtrosq; vides, Sanctam natamq;, Patremq;
Quem dicas dignum nomine Barbarico?

B. Cæciliæ sponsi timor.

XXIII

V Ade age; casta nouus penetralia turpat Amator;
Arripe, scinde, neci trade, docebat amor.
O Amor, inclusis actus, quam sæpe fauillis,
Fatidicis manas inscius ore notis:
En vadit; sponsiq; necem præcordia spirant,
Vt fuso maculas sponsa cruore lauet.
Sed tremit; aspectuq; cadit: sic saucius alto
Iam cade Cælestis vulnere amoris amor.

Tumulus B. Aemigdij Episcopi, Asculanæ Ciuitatis Patroni.

XXIV

IMpius Asculeam torquens Pollimnius artem,
Præscindit sæua Præsulis ense caput.
Ille tamen, caso, non cadit tramite, collo,
Sed vadit capitis portitor ipse sui.
Huic, dum tota nequit dare terra cruenta sepulchrũ;
Mons, ne siste, patens porrige, scinde latus.
Vt non est alia pia sarcina digna feretro;
Si teneat tellus intemerata caput.

Tumulus B. Polisiæ Reginæ in summo Vertice Montis Polesij.

XXV

RVpe sub hac, virides cingūt cui tēpora frondes,
Vnica Pollimio nata puella iacet.
Roma genus, cunas Rex, cultum Aemigdius, ortum
Asculum; opes dederant regna, sepulchra lapis.

Innocentium puerorum exitus.

XXVI

IMpia Ießei, quod funditur, ira tyranni,
Vt miles teneros exanimet pueros.
Parcite fœmineos iterare cacumina planctus;
Quæ tenet Isacidum concaua montis humus.
Et tibi diffusos ad eburnea colla capillos
Necte parens: oculis parcat, & vnda tuis.
Iam pelagi in medio, Christo nascente, propinquus
Visus hic à pueris surgere portus erat.
Vt celeres igitur redeant; his vna carinam
Commodat, & fuso sanguinis imbre natant.

De B. Gregorio Thaumaturgo. Magnum terræ Ferrariensis motum temperante.

XXVII

AEolus, vt celeres inter præcordia ventos
Terrea colligeret, concutiebat humum.
Quaßabat pauidos cælum vertigine postes,
Extremum timuit terra subacta diem.
Solus, ab æthereæ dum sede quiescere ventos
Diue iubes, nostrum comprimis exitium.
Sic decuit; ductore tuo, quæ Numine tellus,
Mobilis ante fuit, sisteret vsq; pedem.

De

De B. Thoma Apostolo telis confosso.
XXVIII

VT dapibus, Thomas, excresceret India sacris,
Dulciloquo superos fuderat ore cibos.
India lata lubens sic munera sumpsit, ut actas
Gemmifer auriferas sperneret Indus opes.
Sed neq; pro dapibus cibus est satis, & bene nunquam
Cadit edax potu dissociata fames.
Ergo, quos verbis depauit, cuspide fixus,
Cordis hiante parat pocula fonte sinus.

Ad

Ad Solem in Christi Morte occidentem.
XXIX

QVò cursum, fugitiue, rapis, nitidasq; recondis,
Sol tetram in nubem, cur moriture comas?
Amisso fulgore solum nigrescit: amictus
Induit obscuros, te fugiente, dies.
An quia, sublato dum reddunt Nænia Regi
Cuncta creata, paras prouidus ipse faces?

Ad

Ad B. Iacobum Perlam membratim discerptū.

XXX

O Toties martyr, quot pendula frusta cadentis
Corporis, ancipiti barbarus ense metit:
Quis, te centeno Iuuenem crudele pacisci
Supplicium, tantus vulnere fecit amor?
Ah opus esse, Poli quicunq; sedilia, noscens
Optat, in angusto calle meare vias:
In tot frusta, vacans studijs cælestibus, intras
Sectus in excelsas sic moriture fores.

Tumulus Mariæ Stuartæ, Reginæ Scotiæ, Hæreditariæ Angliæ, Dotariæ Galliæ.

XXXI

TErnum te Regnũ, dans sceptra, Stuarta, coronat,
Tempora, sed celeri tempore nuda vides:
Anglia rapta tibi est, ceciditq;, cadente marito,
Gallia, nec Regni Scotia iura tulit:
Anglia, quin dira, Gallo torpente, securi
Subiecit, Scoto ferra parante, Caput.
Læta tamen moreris; nec mirum, è cæde superna
Vnica pro multis lata corona tibi est.

Angliæ Reginæ in orthodoxos sæuitia.
XXXII

VXor Achab sacros vexauit iniqua Prophetas;
Anglica Romanam torquet Helisa fidem.
Vtraq; , diffuso nusquam satiata cruore,
Arua replet, diuis sydera, cæde domos.
Illa tamen Reges verita est, hæc ausa prophanos
In sacrum gladios vna rotare caput.
Iam, vi vtramq; vides sub funere, dente voraci
Vtra canum, dic, te Iudice, digna magis?

Ad B. Ioannem Apostolum.
XXXIII

O Quæ sydereis tibi gratia fluxit ab antris;
Dum Christi in gremio lumina clausa forent:
Vndiq; tunc picti patuerunt atria Cæli,
Et tibi secretas prodidit axis opes.
Cur tamen, è sacro supremæ silentia somno,
Quæ biberas, patulo peruigil ore tonas?
An quia, tu super: fueras sectator amoris;
Nec reticere potens, abdita pandit amor?

De eodem Aquilæ comparato.
XXXIV.

MVnera, si spectes, quod profert regius Ales,
Tot, benè si numeres, dona Ioannis cunt.
Prouidus ille suis dat consita munera pullis;
Hic cecinit Christi pectore, quæ rapuit.
Regia, dùm superis iactarent bella Gigantes,
Sola comes Regis tela parabat auis.
Arrius, ab pugnet, iaculetur tela Cerinthus,
Armifer hic nobis fulmina distribuit.
Lucis amans, odit tenebras, solemq; fatigat
Ille; sed hic solis decubat in gremio
Ergo illum, comitem dum conspicis ire Ioanni,
Ne temnas, paribus certat vterq; bonis.

De Diuo Clemente maris vndas exiccante.
XXXV.

SIc se[illegible]at siccis æquor tractabile lymphis,
Pe[illegible]uelet, vt currus quà potuere rates.
Hoc Clementis opus: data ferrea pondera collo,
Dum moriturus habens, obruitur pelago.
Quid Neptune furens, amisso iure, per vndas
Gurgitis, insanos tollis ad astra sonos?
Desine, nam moriens, quas ebibit, has tibi viuens
Iam, sub monte precans, multiplicarat aquas.

Ad B. Bonauenturam Cardinalem.

XXXVI

SIue tuum meminiße velit mea tibia nomen,
Seu velit æternis geſta dediße notis;
Omnia dum vili complecti muſa cothurno
Deſperat, melius ſe tacuiße putat.
Nam Bona nomen habet, factis concedit odore
Quidquid odoriferi terra Sabæa tulit:
Nec mirum: candore ſacro dant lilia mores,
Et te purpureis induit aula roſis.

De B Martino, partem Chlamydis donante.
XXXVII

Contegat vt miseri tabentia corpora, Vestes
Cur tantum medias Miles hic ense secat?
An non tota simul melius datur integra, totum
Pauperis vt poßet delituiße latus?
Ah, inopi pars vna satis: manet altera eisdem
Vsibus; vt Vestis contegat vna duos.

Christi Nænia.

XXXVIII

DVm sacrum Christi, sublatũ ex Arbore, pignus
Stringeret ex animi pectore diua Parens
Pars artus mundare pios, pro funere certat;
Pars alia accensas prona parare faces.
Parcite: (mater ait) Genitrix huic ipsa, supernus
Et Genitor Nato munus vtrumq; damus.
Ille datis mundi conflauit lumina signis;
Ipsa autem lachrymis membra lauabo meis.

B Dorotheæ Preces cum floribus.
XXXIX

TErra ego, Sol Christus, radiorũ ardere calescens
Ecce sedet, medio in pectore, serta fides.
Culta parit tellus, desint ni ex aere lymphæ:
Lictor, humum ferro scinde, fit vnda cruor.
Paruula do flores: surgent è stipite fructus
Posthac, iam latus flos, rogo, gratus eat.

De B. Lucia.

XXXX

VOrtice flammanti circumdata Lucia, flammas
Non timet, at superum laude camæna fluit.
Torquetur furijs miles, mox guttura ferro
Transmeat, vt sileant, ni tacuere focis.
Ista tamen duplici canit ore, nouoq; patente
Vulnere tam citius, quam prope corda magis.
Flamma cadens roseis extinguitur imbribus: alta
Sic ridet fusos exitus arte dolos.

Ad pium Latronem.

XXXXI

O Te fælicem, potuit quem voce dolentem
Vltima in æternos hora beare dies.
Quàm facile, Christi licuit cruce pensilis, aures
Extrema precibus voce meare tuis.
Scilicet, in molli non illum accumbere lecto
Cernis, at in ligno somnus tibi lenis est.

Super illa verba Cantic. En Dilectus meus proſpicit per Cancellos, &c.

XXXXII

AN cancellatis me ſemper amica feneſtris
Proſpicies ; latitans , bella foraminibus !
Sic ego te video , ſine te non viſus : amanter
Namq; tui noſtro corde manet ſpecies.
Per tot , ego aſpiciens, te fuſa foramina cerno ;
Quot tuus , ecce , ſinu vulnera fecit amor.

B. Hypolitus raptus equis sic loquitur.
XXXXIII

NOn ego, tractus equis, pungenti stipite spinas,
Sed nec saxosas ire pauebo vias.
Nam spinis conspersa via est, lapidosaq; calles
Asperat, excelsas qua datur ire fores.
Ergo spina iuuat; iunctiq; in calle iugales
Hi poterunt longas accelerare vias.

Cęlestis, ac terreni amoris vires in B. Bonifacio.

XXXXIV

ME Cælestis amor, similiq; Aglaia nexu,
Is me diuitijs nectit, & ista iocis:
Ille vocat, trahit ista: sinu me præterit alto
Flamma cupidineas ingerat vtra faces.
Quid faciam? medijs iactatum turbine curis
An poterit duplices pectus adire focos?
Siste: iocis nutritus amor cadit: aurea cæli
Dona manent: placidos perfer amica dies.

Christi amoris excessus in Ioãnem, & Petrum.
XXXXV

Dilectus Petrus, dilectus idemq; Ioannes:
Vtrum autem Christus nectit amore magis?
An ne magis fuit alter amans, magis alter amatus?
At comes esse paris debet amoris amor.
Ah, nondum vertens se viderat ille Ioannem;
Cum Petrus cunctis se tulit ante sequens.

B. Andreas Minorita purpuræ Nuncium remictens.

XXXXVI

TErreus hic color est; illum si purpura tingit:
Vtro autem viuens membra colore tegas?
Purpura pulchra magis, sed terra feracior; ostro
Pulchrior, at terra ditior esse potes.
Labilis ille decor; virtus velut herba virescit
Fota solo: tellus grata sit ergo magis.

Iniqua Amicorum sors.
XXXXVII

Viuat, Iò: cæcam docuit qui fingere sortem;
Tam male dat famulis munera secta suis.
Hac voluente mihi duplex pecurrit amicus:
Qui cupit, ille nequit: qui nequit, ille cupit.
Sors pereat; vel dona nouo dans ordine, vires
Vnius alterius distribuas animo.

Execratio Arboris, cuius ramis ſuſpenſus eſt Iudas.

XXXXVIII

A Reat excuſſis, ah, perdita frondibus arbor;
Et ruat infami planta parata neci:
Olli fecundi deſint è nube liquores;
Incola vicinas horreat ire vias.
Horreat ire, ſuper volitans, perterritus ales,
Terraq; floriſeras ſit viduata comas:
Hæc fiant, non quod talis manet arbore fructus,
Sed quia non citius talia poma tulit.

Ad Iudæos in Christi Resurrectione.

XXXXIX

MIraris, clauso Christum, Iessæ Sacerdos,
Surgentem è tumulo per medios vigiles?
Si nescis, quæ sunt olei diffusa liquore,
Dilabi, è dextris experiere tuis.
At Pater hunc oleis Cælestibus vnxerat; ergo
Tollere de vinclis hæc potuere necis.

Thomæ Aquinatis, & Petri Martyris laudes.

L

ET Petrum, & Thomam, bißeno è stipite, crimen
Fertur in infandum præcipitaße pauor.
Iste resurgentis risit miracula Christi;
Fæmineis renuit vocibus ille fidem.
En Thomas superis qui nutibus annuit alter:
En Petri alterius sanguine firma fides.

Ad

Ad B. Bernardum in illa verba Cantic. fasciculus Myrrhæ.

LI

DVm Cruce pendentis meditaris, Diue, dolores;
Compatiens, similis stat tibi corde dolor.
Olli si laceros torquebant militis artus
Ferra; pares ictus pectus vtrumq; subit.
Cur tamen ille graui, quod pertulit arbore pondus,
Et graue pondus ait, tu leue pondus ais?
An ne Crucē hic humeris, quā perfert, pectore perfers?
Hinc, vbi sistit amor, pondera tollit amor.

Tumulus B. Emigdij Asculanorum Patroni Sanctus ipse loquitur.

LII

NEc me sacra patens soli propè funeret vrbis
Mænia; quæ fuso, Porta, cruore rubet.
Sed, nec vicini tumulent præcordia montis,
Me quamquam antè cauo continuere sinu:
Condar in vrbe lubens: quid ne Tunt ferra sepulcbrū?
Quidue superposita ponderat æde lapis?
Hi nequeunt (Ciues) nexus vincire iacentem,
Cui dedit Asculea vincla salutis amor.

De B. Francisco de Paula.

LIII

SPernit inops posita Francisci mensula carnes;
Et vouet è solo pisce parare dapes.
Indigenæ ite Iunonis aues procul ætheris: ite
Quas agit in syluis casta Diana feras.
Tu, Neptune; nouos ad situs dirige lymphas
Atq; imo de sub gurgite perfer opes.
Scilicet, & terram Franciscus & aera spernit,
Et poßeßor aquis ambulat in medijs.

Decodem.

LIV

P Rima per æquoreos Petrus vestigia campos
  Visus, neglecta, constituisse, rate.
Mox, rate deiectus, Siculas Franciscus ad oras
  Appulit, & tutum lympha parauit iter.
Cur tamen Is vento demergi cæperat orto;
  Corde sed impauida transmeat iste salum?
An quia, se posita Franciscus veste, profundum
  Transuolat, & Petrus tegmine membra tegit?
An ne pedes ligno Franciscus vestit; euntem
  Vt pro naue natans subleuet è pelago?

B. Polisiæ Tumulus inhiante Polesij monte, dum sæui Patris iram fugeret.

L V.

SAxea duritiem dediscant viscera montis,
Duritiem patitur dum pia Virgo Patris.
En iacit in præceps Pater, haustam è pectore, natam,
Marmora mollita quam tenuere sinu.
Hæc vbi mira nouo facta ordine conspicit vrbis;
Vtq; [illegible] sensit saxa subire Patris.
O vtinam, dixit, genitor lapidescere posses;
Mollior hoc fieret marmore forte sinus.

Sancti Nicolai in egenos Caritas.

L VI.

COmprimit Acrisij, delapsus ab athere, nata,
Cum pluit aurato Iuppiter imbre, sinum.
Aurea Nicoleos dans munera terna; sorores,
Intacta, ternas, virginitate, fouet.
Manat vterq; auro, quo hic proficit: obfuit alter.
Rectius aptus vter nomen habere Iouis?

Fer-

Ferdinandi Cæsaris in Suecorũ Regẽ victoria.

LVII

BArbara, Hiperboreos dùm gens oblita Triones,
Transuolat algentis cornua Danubij:
Gustauo ductore, audax ad bella Suecos
Currit, & infrenes cogit ad arma Gothos.
Iam pugnax validis Germania cesserat armis,
Vt domita, Italia panderet, Alpes fores.
Iamq; illi solum restabat Roma, profunda
Cuius iam dudum mente sitibat opes.
Cum sacer Augustus fractos exterminat hostes,
Victor, vt vna daret prælia mille dies.
Aspice, quid referas: in glorius agmine victo
Esse cupis Cæsar, Cæsus Adolphe cadis.

Ludouicus XIII. Galliæ Rex.
Si tu eris dux meus Ruccella ruet gladio
Anagramma fides loquitur.

LVIII

VAde, per hostiles interritus exere campos:
Insere victrices ductor in Vrbe manus.
Vade: tibi cælum pugnat, tibi militat æquor:
Puppiferum rapiet mollis arena nemus.
Vade: calescentes ad classica teinne Britannos:
Diuus in infidos arma ministrat amor.
Vade: RVET GLADIO RVCCELLA, *operosa quiescet*
Inde manus, SI TV DVX MEVS acer ERIS.

Ad

Ad Ioannem Baptistam Nascentem.
LVIIII.

*N*ASceris: ecce tibi miracula protinus orbis
Obuia nascenti mille loquentis eunt?
Exultat Christi Genitrix, & carmina pangens
Mulcet dulciloquis aera sacra sonis.
Concinit ipsa senex mater, patuloq; prophetat
Ore Pater labijs vincla resecta suis.
Nec miror: qui clamantis vox diceris, ortu
Congruit vt fierent ora canora tuo?

De S. Thomæ Cantuarien. cuius cerebro consperſum eſt Templi pauimentum.

L X.

ANglorum Præſul, dum cælica iura tuetur,
Et pendit Regis iura prophana nihil
Intentat variare nefas; quo ſubdere demum
Militis inſano cogitur enſe caput.
Enſe caput teritur, cerebroq; refuſa calenti
Oblinit admixtus ſancta Aſarota cruor.
Sic bene; qui viuens hærebat pectore templis,
Atq; animo; ſedem dat moriens Animi.

VE-

VESPERTINÆ PSALMODIAE PARAPHRASIS

EIVSDEM AVCTORIS

P S A L. 109.

1 DIxit Dominus Domino meo : sede à dextris meis.

2 Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

3 Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon, dominare in medio inimicorum tuorum.

4 Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorũ, ex vtero ante luciferũ genui te.

5 Iurauit dominus, & non pęnitebit eũ; tu es sacerdos in æternũ secundum ordinẽ Melchisedech.

6 Dominus à dextris tuis : confregit in die iræ suæ Reges.

7 Iudicabit in nationibus implebit ruinas : conquassabit capita in terra multorum.

8 De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

Dix-

1 DExtera pro solio mea, te, primæua perenni
Progenies, Genitor, nate manebit, ait.
2 Protinus hostiles, demisso cuspide, turmæ
Subijcient pedibus colla superba tuis.
3 Iugiter, vt medios victor domineris in hostes,
Mœnia pro numeris alta Syonis erunt.
4 Nec noua te virtus sequitur, quæ fluxit ab æuo,
Dum te fœcundo mentis ab ore tuli.
5 Rex prior vt Solymæ sacram litiare sacerdos
Constitues Cererem; nec data iura ruent.
6 Nec verearé, Deus domitos prosternere Reges;
Iuribus, & statuet iungere iura tuis.
7 Aligerum primis te deploranda ruinis,
Sarciet extremus Iudice damna dies.
8 Victor abi, cinctumq; sacra caput exere lauro,
Pœnales biberas qui prius amnis aquas.

PSAL. 110.

1 CONfitebor tibi Domine in toto corde meo: in consilio Iustorum, & congregatione.

2 Magna opera Domini: exquisita in omnes volun- tates eius.

3 Confessio, & magnificentia opus eius: Iustitia e- ius manet in sæculum sæculi.

4 Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus: escã dedit timẽtibus se.

5 Memor erit in sæculum testamenti sui: virtutẽ ope rum suorum annunciabit populo suo.

6 Vt det illis hæreditatem gentiũm: opera manuũ eius veritas, & iudicium.

7 Fidelia omnia mandata eius: confirmata in sęculũ sæculi: facta in veritate, & æquitate.

8 Redemptionem misit populo suo: mandauit in æ- ternum testamentum suum.

9 Sanctum, & terribile nomen eius: initium sapien tiæ timor Domini.

10 Intellectus bonus omnibus facientibus eum: lau datio eius manet in sæculum sæculi.

VE-

1 IVstorum te sacra manus colit; additus illi
Tibi confitebor gloriam
2 Illius acta meis praestant insignia verbis;
Quaecunq; mandat, hac facit.
3 Quidquid agit, decus est: eius super astra manebit
Indesinenter aequitas.
4 Iugiter, ut memores operum sacrares amantes
Miserans parauit pabulum.
5 Legis, & ipse memor virtute facessere iussa
Populos docebit cognita.
6 Veraci Isacidis praestabit in ordine Iudex
Haereditatem gentium.
7 Namq; fides mandata regit per saecula: & aequum
Et veritas ibit comes.
8 Iussa dabit Populis non collapsura per aeuum;
Redimetq; Captiuam Syon.
9 Hic sapiens, Caeli pauida qui mente tremendum
Et numen, & nomen colit,
10 sospes erit: donum Deus ageret: illius acta
Honore viuent perpeti.

PSAL. III.

1 BEatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis.

2 Potens in terra erit semen eius: generatio recto rum benedicetur.

3 Gloria, & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sęculi.

4 Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors & miserator, & iustus.

5 Iucundus homo, qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in iudicio: quia in æter num non commouebitur.

6 In memoria æterna erit iustus: ab auditione mala non timebit.

7 Paratũ cor ei⁹ sperare ĩ Dño, cõfirmatũ est cor ei⁹: nõ cõmouebitur, donec despiciat inimicos suos

8 Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculũ sæculi: cornu eius exaltabitur in gloria.

9 Peccator videbit, & irascetur, dẽtib⁹ suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit.

PSAL. 112.

1 **B**Eatus ille, Iussa quem facessere
Calestis vrget caritas.
2 Bonis repletos la gietur semini
Dies per auum ducere.
3 Pereminiter viuendo, muniet domos
Opum superbas gloria.
4 Misertus, Orbis destruet caliginem,
Nascente, Rector, lumine.
5 Opum Beatus largitor, munimina
Parabit ante Iudicem.
6 Fastis peremnibus notabitur pius,
Sanctèq; iugis audiet.
7 Ridebit hostes, & locata desuper
Firmabitur spes in Deo.
8 Fouere doctus Pauperes, viuens diu,
Cribrabit orbem cornibus.
9 Sonter videbunt, infrementq; dentibus;
Et impij votis ruent.

PSAL. 112.

1 LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

2 Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & vsque in sæculum.

3 A solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen Domini.

4 Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat: & humilia respicit in cęlo, & in terra.

5 Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.

6 Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

7 Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lętantem.

PSAL. 113.

INsontes dominum tollite laudibus:
Immenso pueri psallite numini;
Vt per cuncta pio secula nomini
Eius sit benedictio.
3 Qua Phœbus nitidum restituit diem,
Vel qua fessus equis in mare decubat;
Aeternum volitans ora per omnium
Nomen laude sonet sacrum.
4 Magnus præ populis est Deus, & super
Sublimis nimium promicat æthera:
Illi quis similis? sidera, qui colens
Cæli terrea respicit.
5 E terris inopes sublevat, & grauis
De tabo miseros sæpius euebit,
6 Vt cum Principibus sic teneant locum;
Vt fusos populos regant.
7 Qui multa genitrix prole beatior
Natorum vacuas exhilarat domos,
Hunc trinum pueri perpetim, & unicum,
Vestris promite laudibus.

P S A L. 113.

1 IN exitu Israel de Aegypto: domus Iacob de populo barbaro.

2 Facta est Iudæa sanctificatio eius: Israel potestas eius.

3 Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.

4 Montes exultauerunt, vt Arietes: & colles sicut agni ouium.

5 Quid est tibi mare quod fugisti: & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum.

6 Montes exultastis sicut Arietes: & colles sicut Agni ouium.

7 A facie Domini mota est terra: a facie Dei Iacob.

8 Qui conuertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.

9 Non nobis domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

10 Super misericordia tua, & veritate tua: ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum.

1 DVm sacra Barbarico Pharoöis turba Phalãgas,
Acta solo, fugeret; pertesaq; linqueret arua,
2 Quas Israel primus tenuit; quas natus Iudas
Incoluit terras, subijt. 3. Tunc æquoris vnda
Ire procul visa est, retrocessisse fugaces
Iordanis latices, siccoq; patere profundo.
4 Instar tum ouium montes gestire propinqui,
Visi ouium, vt nati ad saltus procumbere colles.
5 Quis fluidas Netune tuas retro impulit vndas
Vertere terga timor? vel qua stagnare fluentes
Vis latitans Iordanis aquas Acheloe coegit?
6 Quæ pecudum de more iugis gestire facessunt
Gaudia montanis terram? Quæuè aspera colles
Impulit in planos deflectere culmina calles?
7 Scilicet, aspectu postes Rectoris Olimpi
Extrema quassauit humus. 8. Qui traxit ab alta
Fontanos populum miseratus rupe liquores,
Eduxitq; nouas petroso è viscere lymphas.
9 Non, Deus, hæc nobis debentur munera, sacris
Auspitijs quę gesta tuis: tibi gloria. 10. Gentes

11 Deus autem nöster in Cælo: omnia quæcunq; voluit fecit.
12 Simulacra gentium argentum, & aurum: opera manuum hominum.
13 Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt:
14 Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.
15 Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo:
16 Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.
17 Domus Israel sperauit in domino: adiutor eorũ, & protector eorum est.
18. Domus Aaron sperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est.
19 Qui timent dominum, sperauerunt in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est.
20 Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis.

Hæc facis, insana ne cœlum voce negarent.
11 *Cũcta tamẽ Deus ipse replens, & cũcta gubernãs,*
Astra colit Cœli, nutuq; abtemperat orbis.
12 *Vestra quid humano gentes conflata labore*
Hic aurata patent, illic argentea formis
Numina sub varijs? 13. His ora silentia pallent;
Lux sine luce iacet. 14. Nasus, sensuq; carentes
Tabescũt aures. 15. Nõ lęua, aut dextera palmas
Intentat, gressus, nec tibia ducta metallo
Protrahit: & gelido reticescunt murmure fauces.
16 *Artifici sors æqua suo; fortuna sequatur*
Pargentes simili, quę numine dona precantur.
17 *Fœlix Isacidum genus, 18. Et quæ traxit Aronis,*
Fœlix progenies, prǽclara ab origine germen.
19 *Et quorum spes vna Deus, castaq; verendum*
Numen mente pauent; his manat ab ęthere sanctũ
Subsidiũ; 20. Hos memorãs cœlo demittit ab alto

21 Benedixit domui Israël: benedixit domui Aaron.
22 Benedixit omnibus qui timent Dominum: pusil lis cum maioribus.
23 Adijciet dominus super vos: super vos, & super filios vestros.
24 Benedicti vos à Domino: qui fecit cælum, & terram.
25 Cælum Cæli domino: terram autem dedit filijs hominum.
26 Non mortui laudabunt te domine: neq; omnes, qui descendunt in infernum.
27 Sed nos qui viuimus benedicimus domino: ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

Dona

Dona Pater, 21. *Plena ceu iam benedixit Aroni,*
Israelisq; manu, 22. *Cunctisq; pauentibus Almum*
Nomen, seu senium pectus grauet; intima ducat
Seu Iuuenilis amor vertigine membra perenni.
23 *Adijciat vobis, natisq; hæc munera,* 24. *Semper*
Telluris, celsiq; Deus fabricator olimpi,
25 *Qui terrarum homini sibi sydera tradidit orbem.*
Conditor Alme Poli, 26. *Nequeũt tibi soluere laudes*
Tartara quos retinent, & dirum cęde peremptos.
Imperiũ quos mortis agit, 27. *Per sęcula sed Nos*
Viuentes Sacrę soluemus munia laudis.

Nihil est contra fidem, nec contra bonos mores, possuntq; typis imprimi.

Vidit Vincentius Riccius Abbas.

Imprimatur
D. Iacobus Vic. Gen.

Imprimatur
Hieron. Donatus pro
Ill. P. de Blaschis.